Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

335

regni hereditatem possidebit. et ipse solium meum erit. cui iuuice mea omnis mundus. et omnis mundi potestas uenerationis debitum exhibebit. sicut ergo ab initio mundi promissionem istam tibi feci. sic faciam hodie. ueniente temporis plenitudine. Bethsabee in tertiam uitam submittit. cum sancta ecclesia ab initio nascentis seculi in humanitatem uenturi quandoque redemptoris sui contemplationis sue oculos ardenter defigit. Regem adorat. cum deo patre in spe uenturi quandoque redemptoris. fidei et dilectionis hostias humiliter immolat. Viuat inquit dominus meus rex dauid in eternum. scilicet deus pater clarificet in mundo per filium suum. per me incarnatum et passum et a morte resuscitatum. SEQVITVR.

Dixit quoque rex dauid. Vocate mihi sadoch sacerdotem. et nathan prophetam. et banaiam filium ioiade. Qui cum ingressi fuissent coram rege. dixit ad eos. Tollite uobiscum seruos domini uestri. et imponite salemonem filium meum super mulam meam. et ducite eum in gyon. et unguat eum ibi sacerdos sadoch. et nathan propheta in regem super israhel et iudam. et canetis bucina atque dicetis. Viuat rex salemon. Et ascendetis post eum. et uenietis. et sedebit super solium meum. et ipse regnabit pro me. illique precipiam. ut sit dux super israhel et super iuda. Et respondit banaias filius ioiade regi dicens; amen. Sic loquatur dominus deus domini mei regis. Quomodo fuit deus cum domino meo rege. sic sit cum salemone. et sublimius faciat solium eius a solio domini mei regis dauid.

Dicit deus pater angelis suis. ad procurationem ecclesie ab initio seculi preordinatis. Vos cubicularii mei. uos procuratores et dispensatores regni mei. uocate mihi per iniunctum uobis ministerium. seruiendo mee dispensationi. et prouidendo meo honori. sadoch sacerdotem. patriarcharum ordinem. et nathan prophetam. ordinem propheticum. et banaiam filium ioiade. chorum apostolicum. Ingrediuntur hii tres coram rege. ab initio nascentis ecclesie. diuine assistentes presentie. eadem fide. spe. et dilectione. incarnationis. et passionis. resurrectionis. et ascensionis dominice.

Dicit eis rex. deus pater per spiritum sanctum. aperiens eis a seculis absconditum filii sui misterium. Tollite uobiscum apices ueteris ac noui testamenti. qui sunt serui domini uestri. seruientes sacramentis filii dei. Imponite salemonem filium meum super mulam meam. Sicut in precedentibus diximus. salemon agit typum Christi. agit etiam typum populi christiani. Mandat ergo deus pater fidelibus suis. patriarchis. prophetis. et apostolis. Imponite filium meum. ut consubstantialem mihi filium meum. ihesum christum. ut adoptiuum filium meum populum christianum imponite. quasi intus ponite. super mulam meam. super legem meam. ad litteram quidem infecundam. sed ad allegoriam utilem ualde et compositam. In gyon quod preruptum sonat eum ducite. scilicet in sublimitate euangelice ueritatis. ut sacramenta filii mei in lege abscondita aperite. ut fidem et gloriam populi christiani expandite. Ibi scilicet in prerupto euangelii. unguat eum sacerdos sadoch. et nathan propheta. ordo patriarcharum et prophetarum. scilicet in euangelii eminentia. patefiant Christi et populi christiani sacramenta. ab initio seculi per patriarcharum sacrificia. et per prophetarum oracula presignata. In regem super israhel et iudam. quia ipse christus. et rex erit omnium. eum in presenti fide et spe conlaudantium. et in futuro eum eterne dilectionis uisione complectentium. Porro inde uos apostoli mei. fideles adiutores mei. bucina canetis. quia in omnem terram predicationis uestre sonum emittetis. Quo nimirum sono. uiuat rex salemon dicetis. quia christum uerum deum et hominem predicabitis. et populum christianum regni mei heredem pronunciabitis. Post eum ascendetis. quia eius incarnationi. passioni. resurrectioni. et ascensioni. uestre predicationis testimonium adiungetis. Venietis. quia nunc eundo et flendo. semina uerba mittentes. in iudicio quandoque uenientes. uenietis cum exultatione. manipulos ecclesiarum.